

Rem ita sese habere, neq; Galenum nomine potentia & facultatis semper proprie uti: sed nonnunquam accipere pro proximo anime instrumento, per quam anima efficax est, vel ex eo patet, quod, 3. de caus. sympt. c. 1. scribit: actionem frustrari, vel laesa facultate, vel ob errorem externum. Ubi haec mens Galeni non est, quasi ipsae facultates, quae incompatibiles & incorruptibiles sunt, laedantur: sed hoc, ut ex sequentibus facile colligi potest, appellat facultatis laesionem, cum internum aliquod corporis vitium, quod ipsius facultatis (quae propterea laedi dicitur) organum occupat, impedimento est, quo minus anima suas vires exerceat; animae proximum instrumentum, quo suas facultates exercit, pro ipsa facultate accipiens.

An spiritus influentes corporis partes sint.

Deinde nec hoc praetereundum, sed omnino inquirendum videtur: An spiritus influentes animati, & corporis nostri partes sint. Vulgo quidem inter partes nostri corporis non numerantur: verum non videntur de nihilo esse, quae Iul. Caesar Scaliger, exerc. 280. sect. 2. ubi & spiritus partes membrorum, & animatorum esse defendit; quae eo loco videri possunt. Cui & Medici nonnulli assentiuntur, qui spiritus a membrorum numero non excludant, quatenus in membris determinantur, ut agentium membrorum partes & instrumenta communia. In membris enim determinantur spiritus, ut proprii esse di-

cantur, & agentium membrorum quasi pars aliqua: sic spiritus animalis in oculis opticus nominatur.

De numero autem spirituum horum magna & inter Medicos & inter Philosophos est dissensio, dum alii unum tantum spiritum, scilicet vitalem, quem omnes concedunt, sufficere existimant; alii duos admittunt, spiritum scilicet vitalem & animale; alii tres etiam statuunt, naturalem, vitalem & animale. De qua re quid statuendum sit, inquiremus.

De numero spirituum.

Etsi vero omnes ex sanguine attenuato, seu ut Gal. loquitur, meth. med. cap. 3. ex sanguinis aëratione, si ita loqui liceret, seu in aërea quodammodo substantiam attenuatione, proveniant: nemo tamen propterea omnes ejusdem speciei esse dixerit: cum actiones a diversis formis & naturis provenientes diversa & specie differentia opera pariant; atque instrumenta diversis usibus & actionibus destinata merito differre statuuntur. Itaque sicut idem alimentum nova actione novam subinde formam ac denominationem accipit, & nemo sanguinem cum chylo, etsi ex eadem materia fiat, idem esse dixerit: ita nemo prudens, etsi prima omnium spirituum materia sit halitosa, & subtilior sanguinis pars, ejusdem speciei esse omnes spiritus dixerit; cum diversam formam in diversis membris accipiant, & ad diversos usus comparati sint. De quo jam

Spiritus omnes non sunt ejusdem speciei.